



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Hermes Theologicvs, Id est Synopsis totius Theologiæ, perspicuè, doctè, subtiliter, ac breviter discussa**

Et In octo Partes ... distincta ...

De Peccatis Et Gratia

**Vindalium, 1646**

Sectio II. De diuisione in peccata carnalia, & spiritualia, & fusè de luxuria.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38789**

## SECTIO II.

*De diuisione in peccata carnalia & spiritualia & susè de luxuria.*

## CONCLUSIO I.

**P**eccata diuidi solent in carnalia, & spiritualia. ) De hac diuisione agit S. Thomas 1. 2. quæst. 72. art. 2. vbi notat, ea peccata quæ perficiuntur in delectatione spirituali vocari peccata spiritualia; quæ verò perficiuntur in delectatione carnali, cuiusmodi sunt gula, & luxuria, vocari peccata carnalia.

Nec refert, quòd omnia peccata dici possint opera carnis, vt colligitur ex Paulo Gal. 5. non enim sensus est, quod omnia perficiantur in delectatione carnali, sed quòd procedant ab homine, secundum carnem viuentis; seu qui ex sensu carnali aliquo modo initium habent vt notatur in resp. ad 1.

Porro quia deinceps non se offeret commodior occasio agendi de peccato luxuriæ, operæ pertium est quædam hic de eo obseruare, ex multis quæ



DE PECCATIS. CAP. VI. 45  
Fufius traduntur à S. Doctore 2. 2. quaest.  
153. & 154.

Obferuandum itaque 1. materiam primariam luxuriæ effe voluntates venereas, fecondariam verò exceffum cuiuslibet rei fenfibus gratæ. Poſſe tamen actû venereum effe licitum, fi nimirum debito modo & ordine fiat, fecondum quod eſt conueniens ad finem generationis humanæ; non autem fi talis modus & ordo prætermittatur, qui non niſi inter coniugatos ſeruari potèſt.

Obferuandum 2. luxuriam merito reponi inter vitia capitalia, eo quòd finem habet maximè expetitum, nempe veneream voluptatem, cuius appetitu homines mouentur ad multa peccata committenda: filias verò luxuriæ eſt cæcitatem mentis, inconfiderationem, præcipitationem, inconstantiam, amorem ſui, odium Dei, affectum præſentis ſæculi, & horrorem futuri.

Obferuandum 3. communiter assignari ſex ſpecies luxuriæ, quarum 1. dicitur fornicatio ſimplex, quæ eſt ſoluti cum ſoluta. 2. adulterium, quod habet locum, quando vterque, vel alter eſt coniugatus. 3. inceſtus, quando res habetur cum conſanguinea, vel affini. 4. ſtuprum, quo virgo violatur. 5. raptus, cum perſona



aliqua libidinis causa vi abducitur. Et  
6. peccatum contra naturam, quod con-  
tingit, quando peruertitur ordo quem  
natura postulat, vt possit sequi generatio,  
ex actu venereo.

Obseruandum 4. simplicem fornicationem esse peccatum mortale, vt patet, tum ex Paulo ad Galat. 5. vbi ait, eos qui fornicantur, aliaque eiusmodi peccata perpetrant, regnum Dei non consequuturos. Tum quia fornicatio simplex vergit in nocumentum prolis ex ea nascituræ, cum ad educationem hominis non modo requiratur cura matris à qua nutriatur, sed etiã & maximè cura patris, à quo est instruendus, & defendendus: adeoque inter patrem, & matrem necessarium fit vinculum diurnum & insolubile, per legitimum matrimonium. Nec refert, quod fornicator interdum provideat proli de educatione, hoc enim est per accidens, quia extra matrimonium, non potest per se loquendo, & vt plurimum haberi sufficiens cura prolis. Et aliàs sequeretur pauperes peccare fornicando, non autem diuites, eo quòd isti commodè consulere possunt educationi prolis, non illi.

Obseruandum 5. oscula fieri posse ex triplici fine 1. ex honesta amicitia 2. ob



E PECCATIS. CAP. VI. 47

delectationem sensibilem secundum tactum, quæ iis inseparabiliter coniuncta est. 3. ob delectationem veneream, seu animo fruendi delectatione alicuius actus libidinosi, per imaginationem representati, ac si verè esset præsens. Et quidem oscula primi generis non sunt peccata, etsi coniuncta sint cum aliqua commotione, & delectatione, modo habeatur ratio decentiæ, & vitetur scandalum. Quia cum sint ex se res indifferentes, quibus homo potest bene, aut malè uti, si in finem honestum referantur, fiunt honesta & licita. Oscula verò secundi generis sunt ex se venialia; quia cum quarantur ob delectationem sensibilem, carent debito fine: non tamen speculatiuè loquendo, videntur mortalia; cum enim ea quæ ex causa honesta usurpantur non sint mala, esse delectationem quandam sensibilem inseparabiliter adiunctam habeant; incredibile videtur ea esse mortaliter mala, quando præcisè propter huiusmodi delectationem assumuntur. In praxi tamen valde sunt periculosa, eo quòd facilis est transitus à delectatione sensibili, ad veneream; præsertim agendo de osculis quæ sæpius, & cum mora ori infiguntur. Quare ex cõmuni sententia, eiusmodi oscula ob dele-



ctationem sensibilem facta, sub mortali  
caueri debet. Obscure denique tertij ge-  
neris sunt ex se peccata mortalia; quia  
cum delectatio venerea sit mortaliter  
mala, quæ ad eam excitandam vsurpan-  
tur, eandem malitiam participant.

Observandum 6. tactum partis omni-  
no inhonestæ, si fiat ex causa necessaria,  
non esse peccatum, etsi inde sequatur tur-  
pis commotio, vel etiam pollutio, modo  
consensus absit. Esse verò peccatum mor-  
tale, si fiat ex intentione delectationis  
venereæ, ut ex dictis intelligitur. Et etiã  
si fiat ob solam delectationem sensus,  
quia hæc in tactibus inhonestis, saltem  
in praxi, à delectatione libidinosa sepa-  
rari non potest. Quamquã probabilius  
existimem, peccari solum venialiter, si  
quis raptim se, vel alium eiusdem sexus  
inhonestè tangat, ex sola leuitate, aut  
curiositate; modo non adsit periculum  
consentiendi in turpem delectationem,  
aut excitandi pollutionem in se, vel in  
alio.

Quòd verò attinet ad tactum partis  
honestæ, dicendum 1. eum nullo modo  
esse peccatum, si fiat ex causa honesta,  
etsi delectationem sensibilem adiunctam  
habeat. 2. eum non esse per se loquendo  
nisi veniale peccatum, etsi fiat ob dele-  
ctationem



DE PECCATIS. CAP. VI. 49

stationem sensibilem ei necessariò adiunctam; vt si alicuius manus aut facies contrectetur ob delectationem, quæ ex eius mollitudine, laxitate, temperata caliditate percipitur. Quia aliàs dicendum esset, eum etiam peccare mortaliter, qui propriam manum contrectat, aduertens se delectationem aliquam sensibilem, secundum qualitates tactiles, inde percipere; quòd sanè durissimum est, & à communi piorum sensu abhorrens. Prædicti tamen tactus facti ob solam delectationem sensibilem, sine alia rationabili causa eos honestante, dimittendi sunt sub mortali, quando periculum est ne adducant delectationem veneream. Porro quæ de osculis, & tactibus inhonestis dicta sunt, ad aspectus rerum turpium facile applicari possunt.

Observandum 7. pollutionem directè & per se voluntariâ, esse peccatum mortale, vt patet tum ex 1. Cor. 6, vbi dicitur fornicarios, adulteros, molles, &c ad regnum Dei non admittendos: ibi enim per molles intelliguntur, qui delectationis venereæ causa, extra concubitum pollutionem procurant; quorum proinde peccatum dicitur mollities. Tum quia actus ille multò magis vergit in detrimentum prolis, quàm fornicatio; cum

de Pecc. C



ita fiat, vt non possit ex eo sequi generatio. Quare cum fornicatio sit peccatum mortale, dubitari non potest, quin ipsa pollutio directe, & per se voluntaria deformitatem mortalem, eamque grauiorem per se loquendo contineat.

Obseruandum 8. pollutionem non esse culpabilem, quando præter intentionem, & sine periculo consensus, sequitur ex causa honesta, quæ sine aliquo incommodo prætermitti non potest, etsi præuideatur inde sequutura. Vnde non tenetur ex equo descendere, & pedibus iter facere, qui ex equitatione ad pollutionem prouocari solet. Talis enim effectus non censetur tunc voluntarius, sed tantum permissus, maioris boni gratia. Licet autem pollutio sit culpabilis, quando oritur ex causa aliunde mala, ex qua præuisa est secutura; si tamen eiusmodi causa suum proprium finem, & commodum habet, pollutio inde secuta non imputatur ad culpam mortalem, sed ad venialem dumtaxat. Vnde etsi quis peccet mortaliter, ex gulæ affectu ultra modum comedendo & bibendo; non tamen, quatenus præter intentionem pollutio ex tali intemperantia sequitur. Quia scilicet causa illa non dirigitur ex intentione operantis, ad eiusmodi effectum, vt



DE PECCATIS. CAP. VI. 51

supponimus; neque ipsa nisi valde remote ex natura sua, ad eum disponit. Aliunde verò pollutio nō est ex se res mala, vt vel ex eo patet, quia si esset, non liceret eam ex causa honesta permittere; sicut non licet permittere in se homicidium. Quare etsi sub peccato mortali, vitanda sit causa, ex qua homicidium præuidetur secuturum; non tamen ea ex qua pollutio præuidetur secutura, quatenus talis est.

Obseruandum 9. pollutionem quæ in somnis contingit, non esse secundum se malam, siue tota contingat, antequam quis expergescat, siue incepta tantum sit in somno, & in vigilia perficiatur; quia etiam hoc posteriori modo censetur inuoluntaria, nec sine graui incommodo impediri potest. Esse verò peccatum mortale 1. si quis in vigilia aliquid faciat ex intentione, vt pollutio in somnis contingat 2. si expergescat postquam incepta est, in eam ex plena deliberatione consentiat, etsi ei non cooperetur. 3. si gaudeat de ea quæ in somnis omninò cōtingit, ob delectationem veneream inde perceptam; non autem si de illa gaudeat, quia ad sanitatē, vel ad sedādas tētationes conducit. Qua etiam de causa licitum est, simplici affectu desiderare, vt in som-



nis contingat pollutio, per causas naturales; etsi nunquam liceat eam desiderare efficaciter, ita scilicet ut quis ex vi talis desiderij, ad illam disponatur, & prouocetur.

CONCLUSIO II. Peccata diuidi etiam solent in peccata contra Deum; contra proximum, & contra seipsum. Item in peccata cordis, oris, & operis. ) Circa priorem diuisionem de qua agitur art. 4. Nota 1. peccata omnia aliquo sensu esse contra Deum, & contra ipsum peccantem: contra Deum quidem, quia omnia repugnant illius legi, ut patet tum ex definitione peccati cap. 1. allatum quia non tantum Deus iubet, ut homo se habeat ordinatè erga ipsum, sed etiam erga proximum, & erga se. Contra ipsum vero peccantem, quia omne peccatum est malum quoddam ipsius peccantis, cum ipsius rationi aduersetur.

Nota 2. speciali quadam ratione aliqua peccata esse contra Deum, alia contra proximum, alia contra ipsum peccantem. Quia enim quædam virtutes nos rectè ordinant erga Deum, ut fides, spes, charitas; alie erga proximum, ut iustitia, a iæ erga nos ipsos, ut temperantia, & fortitudo; hinc fit ut peccata quæ repugnant virtutibus primi generis, dicantur



DE PECCATIS. CAP. VI. 53  
contra Deum; quæ virtutibus secundi  
generis, contra proximum; quæ verò  
virtutibus tertij generis contra ipsam  
peccantem.

Nota 3. diuisionem illam esse adæqua-  
tam, & includere omnia peccata; homo  
enim tribus tantùm modis ordinari po-  
test, nempe vel ad Deum, quia Dei est; vel  
ad proximum, quatenus est animal socia-  
le: vel ad seipsum, quia est animal ratio-  
nale. Imò si homo esset naturaliter ani-  
mal solitarium, sufficeret duplex ordo,  
nempe ad Deum, & ad seipsum; adeoque  
diuisio peccatorum in peccata contra  
Deum, vel cõtra seipsum esset adæquata.

Nota 4. prædictam diuisionem esse  
generis in species; cùm enim sumatur  
per ordinem ad virtutes, quibus homo  
ordinatur ad Deum, ad proximum, & ad  
seipsum; illæ vero distinguantur specie  
inter se, hinc sequitur peccata iis oppo-  
sita, inter se specie distingui.

Circa posteriorem diuisionem; No-  
randum 1. ex art. 7. eam non esse secun-  
dum varias species completas, sed secun-  
dum diuersos gradus peccati; in eadem  
specie: sicut enim prius iaciuntur funda-  
menta, & eriguntur parietes, quàm ædi-  
ficatio domus completa sit; ita peccatum  
primò inchoatur, & veluti fundatur in



corde, deinde in ore augmentum capit, ac tandem completur in opere: quatenus etsi peccatum mortale in corde, seu in consensu interno perfici possit, dicitur tamen consummari in opere externo; quia ex se ad illud tendit, ibique sistit.

Notandum tamen 2. prædictam diuisionem aliter sumi posse, vt nimirum peccatum cordis dicatur illud, quòd ex natura sua consummatur in corde, vt infidelitas, & odium: peccatum oris: quod ex se in ore perficitur, vt blasphemia, & contumelia. Peccatum verò operis illud sit, quod ex natura sua perficitur in potentiis externis, qualia sunt homicidium, furarum, &c.

Notandum 3. illud esse discrimen inter peccata, iis duobus modis sumpra, quod peccatum cordis, oris, & operis iuxta primum sensum, non facit tres peccati species, sed tantum tres gradus, aut partes ex quibus vnum peccatum integratur, vt patet in eo qui interiùs consentit in fornicationem, verbisque mentem suam declarat, & opere complet. At iuxta posterioré sensum, peccatum cordis specie distinguitur à peccatoris, & operis, hæcque ab illo, & inter se, vt docet S. Thomas 3. p. quæst. 90. art. 3. ad 1. Cuius ratio est, quia priori modo est vnum



DE PECCATIS. CAP. VI. 55  
Sanctum specie obiectum, in genere mo-  
ris, adeoque eadem deformitas in pec-  
cato cordis, oris, & operis: posteriori ve-  
ro sunt tria obiecta specie distincta, to-  
tidemque deformitates seu dissonantiae,  
cum recta ratione.

---

### SECTIO III.

*De diuisione in peccatum commissionis  
& omissionis.*

#### CONCLUSIO I.

**A**Lia est diuisione peccati, in peccatum  
commissionis, & omissionis.) De hac  
agit S. Doctor art. 6. ubi docet 1. com-  
missionem, & omissionem si spectentur  
materialiter, seu in genere naturæ dif-  
ferre inter se specie; latè tamen loquen-  
do de specie, secundum quod negatio vel  
priuatio speciem habere potest. 2. si  
commissio, & ommissio spectentur forma-  
liter in ordine ad finem, & obiectum  
proprium, non differre specie; quia ad  
idem ordinantur, & ex eodem motiuo  
procedunt. Auarus enim ad congregan-